

12



7

Ia 54

9.

DE
DISCIPLINA SCHOLASTICA
COMMENTATIO
QVA AD
ACTVM ORATORIVM

PRID. CAL. DECEMBR.

SCHOLAE DIE NATALI POST MERIDIEM
AB HORA II.


IN

STEPHANEO HABENDVM

INVITAT

CHRISTIAN. GODOFREDVS STRVENSEE,

SCHOLAE CONRECTOR, ET ECCLESIAE CATHEDRALIS VICARIVS.



HALBERSTADII,

FRIDERICIANO STANNO, MDCCLVIII.

DISCIPLINE
CORPUS
ACTVM ORATORVM

...

AV

...





De *disciplina scholastica* scribere instituenti ratio reddenda esse videtur, cur hanc potissimum quaestionem, in qua explicanda industria mea versaretur, delegerim. Erunt enim sine dubio multi, ex prudentioribus etiam & cordatioribus lectoribus, (de vulgo & imperita multitudine inaurata interdum, & honoribus refulgente, non loquor; cujus ineptissimis sermonibus moveri, turpe puto) qui admirati, cur rem, tenuem prima specie, decantatam etiam, & multis invisam, denuo in scenam revocandam putem, mali ominis forte arbitrabuntur, quod cum primo oratorio actui a me habendo programma scribendum esset, de hac re commentari susceperim. Quorum quidem iudicium cum negligi a me nec possit, nec debeat; & optimus quisque, quae facit atque molitur, optimo cuique probari merito cupiat: satis faciendum iis hoc magis existimo; quo facilius meum consilium his probatum, iri confido. Duae autem cau-

fae fuerunt, quae prae ceteris me, ut de scholastica disciplina differerem, permoverunt. Una est, quod, cum scholastici doctoris officia duabus maxime rebus contineantur, bonarum literarum institutione, & morum formandorum studio, prudentia, atque dexteritate: hanc partem priore multo esse potiore atque graviorem ducendam mihi persuasi.

Quod si enim ad salutem rei publicae, cum sacrae, tum civilis, pluris interest, bonos, probos, & virtutis rectique amantes cives habere, quam inepte doctos & facinorosos; Si experientia teste, verum esse notissimum illud, constat, *quo semel est imbuta recens &c.* statuere profecto debemus, qui educandae juventuti praefectus est, si sibi elaborandum putat, ut doctiores pueros reddat; ei, ut meliores eos efficiat, multo etiam magis, multo diligentius, multo acrius esse contendendum. Quae cum ita sint, juventutis magistris non modo ignosci posse arbitror, si, quam rationem in formanda ea sequantur, declarent: sed jure quodam ab iis exigi posse contendo, ut, cum doctrinae, & tradendarum bonarum literarum facultatis documenta exstare velint; bonae mentis formandae dexteritatem specimine aliquo imprimis demonstrent. Et si merito laudamus, si qui medicae rei periti, qua ratione, quibusve remediis, morbos depulerint, eorum contagium circumscripterint, valerudini consuluerint, eamque, si imbecillior esset, confirmarint, accuratius exponunt: magis profecto eorum laudandum foret consilium, qui, quemadmodum vitia sanarint, aut gliscentem eorum vim represserint, tenerae juventutis innocentiam a foeda pravorum

pravorum morum contage defenderint, eamque in virtutis tramite continuerint, cum aliis communicare in animum inducerent.

Accedit altera causa mihi vere propria, atque peculiaris. Factum, nescio quo modo, est, ut multis, praeter rationem profecto, ex quo in Stephaneo nostro juventuti operam meam addixi, de nimia disciplinae severitate suspectus fuerim. Quam opinionem ne dicam criminationem & calumniam, si, quae de disciplina scholastica sentiam, exposuero, facillime confutatum iri arbitror. Quamquam enim eventus satis docuit, scholae nostrae non pessime consultum fuisse, postquam scholastica disciplina severius paullo in ea administrari coepta est, cujus eum fructum cepit, ut cordatiores parentes, quorum iudicium plurimi faciendum arbitramur, nostrae fidei suos filios ultro & lubentes commiserint, tantusque discipulorum numerus sit, ut major unquam in Stephaneo nostro fuisse vix reperiatur: monstrandum tamen arbitror, me, si severitate interdum opus fuit, non temeritate, aut iracundia impulsus, certam aliquam, nec plane contemnendam rationem secutum fuisse.

Decrevi autem de tota hac causa plenius agere. Quod cum pauculae pagellae non capiant: totam rem ita dispertiar, ut iam quaedam de summa re quasi delibem; in posterum autem de singulis ejus partibus accuratius disputaturus sim: ut non solum, qualem eum esse oporteat, qui disciplinae scholasticae praeesse recte

velit, ostendam; sed etiam, qui, quibusue in officiis, & qua ratione continendi sint, plenius exponam.

Disciplinam, quae vox plura significat, hoc loco, *omnem in officio continendi rationem dico*: quae *domestica* est, si familia; *civilis*, si cives; *militaris*, si milites; *ecclesiastica*, si rei publicae sacrae cives continendi sunt; *scholastica* autem, si in scholis discerentes. Quod, qui considerat, intelliget profecto, turpiter falli eos, qui, audito scholasticae disciplinae nomine, nescio quae monstra somniantes, non nisi de virgis, ferula, atque carcere cogitant. Quemadmodum enim is aut omnium rerum ignarissimus foret, aut ab infania non longe abesset, qui, si civilem disciplinam commendari audiat, de exilio, securi, equuleo, ceterisque suppliciis unice cogitet: ita profecto deridendum se, imo explodendum is praebebit, qui acerbioribus his disciplinae scholasticae officiis eam omnem absolvi, stolide sibi persuadeat, aut persuaderi patiatur.

Non nego, descendendum interdum esse ad asperiora haec remedia; uti et republica saepe est, si scelestiores cives sint, vigere acriorem aliquam disciplinam: sed, quemadmodum in civitate recte constituta facinorosi tantum, qui paucissimi sunt, suppliciis adficiendi sunt; ita in ludo scholastico, si rite institutus sit, in paucioribus disciplinae asperitate opus esse statuo, in quo praecepta salutaria, instituta, leges, monita, exhortationes, consilia, preces, obtestationes, laus tributa, & praemia apud bonae indolis pueros, ad retinendos eos in officio, plurimum valere debebunt, & profecto valebunt,

Sunt

Sunt autem disciplinae scholasticae diversa genera, quorum potiora hic recensimus. Quae enim quaedam officia negligit, aut minoris aestumat, remissa est; quae graviora omitti patitur, *laxa*; quae gravissima parvi pendit, eaque impune contemni finit, *dissoluta* est. Quibus quid potest esse foedius aut tetrius? aut quae atrocior pestilentia scholas depopulari potest, quam si, aut per negligentiam, aut per summum praefectorum scelus, ejusmodi disciplina scholas invadere easque devastare possit? Habent interdum, quorum disciplina *remissor* est, suos laudatores: pueros scilicet, voluptatum illecebris delinitos, delicatulas mulierculas, filiorum impotenti amore captas, patres etiam interdum molles atque effoeminatos; laudatur adeo non nunquam *laxior* disciplina: credo autem, optimum quemque mecum sic existimare, tantum abesse, ut, qui eam rationem in educanda iuventute sequendam sibi arbitretur, laude dignus sit, ut potius, tanquam juventutis corruptor, non modo a sanctissimo & gravissimo munere amovendus, sed gravi etiam poena adficiendus esse, videatur,

Certe summum, eumque sapientissimum doctorem nostrum, CHRISTUM JESUM consentientem habeo, qui Matth. XVIII, 6. gravissime pronuntiavit: qui parvulis offenculo sit; & quis magis erit, quam qui, cum formandis iis & in fide educandis praefectus sit, sua ignavia, suove scelere corrumpi eos & perverti patitur? eum non gravem solum poenam manere, sed melius adeo actum iri cum eo, si, lapide ad collum adpresso, in altissimum mare praecipitaretur,

Hic

His *diligentem* disciplinam opponimus, ubi id serio agitur, ut pueri in officio contineantur; *severam*, si in omnibus officiis instituantur: quae *acris erit*, si juventutem ab officio, parvi etiam, ut videtur, momenti, minime aberrare patitur. Non arbitror, quemquam esse, aut tam hebeti ingenio, aut perversa mente, quin, quanto disciplina diligentior, *severior*, acriorue sit, tanto eam meliorem esse intelligat. Quum enim beatus esse non possis, nisi officiis tuis satisfacias, in fatis faciendo autem beatitas inest: fieri non potest, quin tanto beatiores pueri sint futuri, quanto magis, ut *severitas*, *diligentia*, atque vis quaedam in disciplina vigeant, elaborabitur.

Si disciplina talis est, ut amore, monitis, beneficiis, aliisque rebus, quae sensu etiam jucundae sunt, pueri ad recta quaevis instituantur, *lenis* dicitur: cui *aspera* opposita est, quae ingratis praesidiis nititur, & *rigida* fit, si acerbioribus poenis omnia peccata, leviora etiam vindicantur: qualem Draconis civilem disciplinam in atheniensium civitate fuisse accepimus, qui ob quaevis delicta ultimo supplicio adficiendos cives statuerat. Quae quidem duae merito a scholis bene constitutis abesse debebunt, tanquam naturae humanae, puerorum aetati literarumque humanitati repugnantes. Neque tamen, cum acerbiter disciplinae rigorem nimium merito damnamus, impunitatem peccatorum, graviorum praesertim, proponi volumus. Sed quemadmodum medici ad urendum & secandum raro & inviti accedunt, accedunt tamen interdum: ita in scholis severitate interdum opus erit, a qua tamen acerbitas, quantum fieri potest, secernenda est.

Leni

Leni disciplina cordatis puerorum magistris nihil optabilius est, qui profecto non minorem percipiunt dulcedinem, si suae fidei concrediti ea moveantur, quam illi ipsi pueri hac lenitate blande adficiuntur. Sed cavendum est, ne *lenem disciplinam*, quod a multis fieri videas, *cum remissa, laxa, imo dissoluta confundas!* In disciplinae lenitate, si vera sit, summa severitas inest: & prorsus falluntur, qui, dum in servanda disciplina *remissi* sunt, & *soluti, lenes* existimari volunt: quibus autem non raro contingit, ut, quando sua negligentia, indulgentiaque nefanda suos in graviora scelera ruere passi sunt, ad asperrimam acerbiteriam decurrere cogantur. Quod si fit *inaequabilis* disciplina dicitur, quae *aequabilis* erit, si constantem in ea rationem sequaris.

In disciplinae aequabilitate tantum boni inest, ut etiam si in disciplinae aliquo genere, non sine ratione quaedam desiderentur, aut vituperanda esse videantur, praestabilius tamen sit, quam semel ingressi sumus rationem, in ea persistere, quam repente ex uno in alterum genus transilire. Sic e. g. malim eum, cujus disciplina ab asperitate non multum abest, quod merito improbatum, in ea ratione perseverare, quam repente ad indulgentiam & lenitatem transcendere, rursus autem per inconstantiam ad asperitatem revolvitur. Ipsa enim vicissitudo non solum tristior, & gravior pueris erit, qui, quid sibi tandem velit praeceptor, explicare non poterunt: sed nec id adsequetur, quod in disciplina scholastica propositum nobis esse debet, ut in officio discipuli contineantur. Falleretur autem, qui, ubi aequabilitatem disciplinae commendari audit, eam hanc

vim habere sibi persuaderet, ut eadem omnes ratione habeantur; peccata omnia eodem modo corrigantur; eodemque quasi tramite omnes ducendi sint. Potest enim disciplina aequabilis esse, quamvis ex duobus pueris, qui in eadem re aberrarunt alter vultu, & silentio tantum; verbis, alter asperioribus officii admoneatur. Ex quo adparet in aequabilitate, id praecipue spectari debere, ut certam iudicii rationem sequamur, eumque, qui in ea aequabiliter versari velit, non repente ad eam quasi proflire debere, sed ante probe cogitare, meditari, communicare etiam cum aliis, ut ad certam sententiam pervenire possit.

Superest, ut de duobus scholasticae disciplinae generibus, quae in Christianorum scholis maximi momenti sunt, pauca quaedam disputentur. Alterum eorum, *legale* dicimus, vocabulo ex theologorum scholis sumto: *evangelicum* alterum: quorum vis, cum pauci sint, qui teneant, diligentius investiganda esse videtur. *Legalis* disciplina in genere haec est, quae lege efficitur; *evangelica*, quae evangelio. Prior, quod multos opinari videas, non continuo aspera est, & rigida; potest enim eadem mollis, remissa, laxa, imo dissoluta esse: quanquam eam, si ullo modo laudanda sit, asperitatem & rigorem sequi oportebit. Neque vero evangelica *remissa* erit aut *laxa*, multo etiam minus soluta: quae *severa* potius erit, imo *acris*. Sunt quidem non raro ex parentibus, (utinam in evangelii doctoribus non reperirentur!) qui ubi lascivientium suorum procacitatem severius coerceri cognoscunt; eam rationem evangelio, sanctissimo nomine turpiter abusi, non convenire vocife-

vociferantur. Qui si recordarentur, eam evangelii vim esse, ut vitia omnia non modo fuget, sed tantum non evellat, & exterminet; si reminiscerentur ipsum Jesum, evangelii unicum auctorem praeconemque copiosissimum, non modo convitio Petrum suum excepisse Matth. XVI, 23. phariseosque Jo. IIX, 44 gravissime verbis coarguisse: sed verberibus etiam, patris aedem contaminantes inde exegisse: in evangelio non solum severitatem, sed asperitatem etiam, imo acerbitatem interdum inesse, intelligerent.

Ut autem, quid nobis disciplina evangelica sit, constet: sic existimamus, requirere eam, *primo*; Ut, qui ea uti velit, vim evangelii, rationemque ita perspectam habeat, ut cum omnes sibi commissos pueros unice diligat, ametve ex animo, idque ob eam rationem, quod pretiosissimo Christi sanguine redempti, eoque in lavacro sacro perfusi ei imprimis cari sunt; tum vitia omnia, quod evangelium profecto efficit, in se, suisque ex animo detestetur. *Deinde* ut ex hoc limpidissimo fonte omnia consilia, praecepta, monita, instituta, reliquave, quae ad disciplinam pertinent scholasticam, promanent. Tota *denique* ratio evangelio magis accomodetur. Atque hic fateor, in disciplina nostrarum tantum non omnium scholarum, hanc tertiam partem ita requiri, ut quamvis *evangelici* dicamur, evangelium tamen desiderari atque requiri inter nos videatur.

Doctorum scholasticorum quaedam culpa est, non nego, qui ab Evangelio non raro alieni ejus vim praestantiamque cognitam

non habent: idem tamen vere affirmare posse mihi videor, non minorem cum parentum esse, qui domi suae filios suos ita vel negligunt, vel ipsi instituunt, vel institui patiuntur, ut cum in scholas mittuntur, amissa evangelii gratia, & teneris mentibus plus quam ethnica caligine circumfufis, nec raro infandis atque turpissimis moribus inquinatis verius, quam imbutis tota evangelicae disciplinae ratio non magis eis conveniat, quam si judaeos, aut Muhammedis affectas evangelica disciplina regere velis: tum eorum, a quibus, cujus scholastica exigua pars est, totam sacri coetus evangelicam disciplinam proficisci oportebat. Quae ut tandem aliquando tot votis, tot suspiriis, tot lacrymis tam diu expetita Christianae rei publicae restituatur, optimum quemvis ex mei ordinis hominibus, quibus ipsis hac ratione optime consuleretur, ex animo mecum optare, omnibusque votis expetere, confido.

Haec habui, quae in praesentia de omni scholastica disciplina disputarem. Venio nunc ad ipsum oratorium actum, cui ut *Patroni Scholae nostrae* plurimas, easque justissimas ob causas *nobis imprimis, Reverendissimi*, ceterique humaniorum literarum fautores studiosique, benevole, frequentesve interesse velint, hac qualicumque sermone, summa demissione atque observantia invitantur. Videntur autem, antequam ipsas orationes habendas recenseam, lectores etiam atque etiam monendi esse, atque rogandi, ut, cum nihil, quod plane elaboratum, perfectumue sit, a me proficisci posse persuasissimum habeam, tum hoc maxime tempore ignoscere velint, si pro suo ingenio, summaque doctrina, non solum program-

grammaticis quaestionem copiosius multo, plenius, ornatus atque distinctius tractari potuisse ac debuisse animadvertent; sed in orationibus etiam, quae recitabuntur, plura, quae suo jure vel desiderant, vel improbant, notabunt. Cum enim mensis vix sit, cum collega meus, Rectorue, post obitum etiam venerandus, praeter meam spem atque opinionem profecto, mihi ereptus est, quem meae fragilitatis memor mihi superstitem fore non sine probabili ratione credideram; primique post ejus casum dies in funere curando consumendi essent; ex eo autem tempore superioribus duobus ordinibus amplius triginta per hebdomadem horae publice privatimque tribuendae fuerint, ut cetera impedimenta silentio jam praetermittam, quae, cum uni omnia sustinenda curandave sint, deesse non possunt: aequi rerum aestimatores pauculas modo horas, etiam si noctes non nihil adjuvarent, huic negotio, tenui quidem in se, multi tamen laboris, impendi potuisse reperient. Et sane praetermississem, hoc quidquid est scholasticae sollemnitatis, nisi cognitum haberem, vix esse in omni rerum scholasticarum ambitu, quod ejusmodi exercitationibus studiosae juventuti utilius sit, atque fructuosius: ut facilius condonari possit, si quid in exercitatione desideretur, quam si tota ratio omissa fuisset. Solus huic non sufficissem labori. Quare primi ordinis adolescentes suas orationes, una *ligata* excepta, quarum formam quandam a me acceperunt, longe utilissimo libro, *Der allgemeinen Welt-Historie*, usi, ipsi elaborarunt. In quo fructum operae cepi in emendandis eorum elaborationibus, vivo etiam Rectore meo, positae. Nisi enim ipsi aliquam dicendi facultatem fuissent consecuti, tempus, vel ad scribendum orationes mihi defuisset.

Dicunt

Dicunt autem omnes de re scholastica: quod non solum scholae natali conveniens, sed etiam dicentium aetati atque facultati accommodatum esse putavi, saluberrimi Horatiani praecepti memor

Sumite materiam, vestris, qui scribitis, aequam
viribus,

De rebus a rege vel hac aestate, vel toto bello gestis, incredibilibus profecto, & post terrarum orbem conditum sine dubio maximis, orationes a pueris, quod multi fortasse expectabant, haberi nolui. Ineptum enim existimavi, puerorum, vel adolescentulorum, qui dicere primum incipiunt, industriam in iis rebus exerceri velle, quae omnium iudicio tantae sunt, ut, quod Cicero, Caesaris auribus serviens, de ejus rebus gestis dicebat, a nobis verissime dici possit: *Nullius nedum pueri, aut adolescentuli, tantum esse flumen ingenii, nullam dicendi, aut scribendi tantam vim, tantamque copiam, quae non dicam exornare, sed enarrare res regis gestas possit.* Et si is pictor ridendus esset, qui tironis penicillum in tabula occupare vellet, quam ipse *Raphael* non satis exornaturus esset: ego profecto magis reprehendendus essem, si oratores meos adolescentulos in laudando rege nostro versari aut voluisssem aut passus essem. Prodibunt autem ad dicendum

I. *PAULLUS CHRISTIANUS RUTZEN*, Retzlina Magdeburgensis, primanus, plurimis virtutibus ornatus adolescens, expositurus; *magistratum esse educandae iuventutis curam gerere.*

II.

II. JOANNES GUILIELMUS LUDOVICUS GLEIM, Ascaniensis, & JULIUS HENRICUS GUILIELMUS BEYER, Halberstadiensis, secundi ordinis uterque, & elegantioris ingenii, cum JOANNE SALOMONE NEUBAUERO, Huſo-Neuenstadiensis, primano, optimis moribus, eximia diligentia, praestantique ingenio, commendabili agent inter se *de disciplina scholastica*: quos sequetur

III. HENRICUS DAVID RUTZEN, Retzlinga-Magdeburgensis, primi ordinis, fratri similis, mihiq; ob praeclaram indolem carus; is *de puerorum institutione apud veteres Persas aget*. Eum excipiet

IV. JOANNES THEOPHILUS KLEFFEL, Tartuna-Magdeburgensis, primanus, elegantissimo ingenio, optimis moribus & summa diligentia, dicturus *quemadmodum spartani suos pueros educarint, latine, de qua re*

V. DAVIDES JACOBUS MEYER, & JOANNES HENRICUS MICHAELIS, Halberstadiensis uterque, & secundi ordinis, & merito mihi percarus, cum JOANNE DANIELE ARNOLDO KYPNASE, Halberstadiensis, primano, praestantissimeque ingenii adolescentulo, & summae industriae, colloquantur: post quos

VI.

VI. *JULIUS ERNESTUS FRIEDERICUS BERTH*, Derenburgensis, primanus, cujus ingenium, mores & industriam plurimi facio, de *formatione puerilis aetatis apud Romanos* dicet. Tum

VII. *AUGUSTUS SIEGFRIED a GOUE*, Hildesius, & *JACOBUS ERNESTUS a ROHR*, eques Prignitziensis, secundi ordinis ambo, quorum mores, industria, virtutesque, utrum nascendi conditionem illustrent magis, an ab ea illustrentur, incertum est, *Caesarem ex ejus commentariis cum Rege nostro comparabunt.*

VIII. *FRIEDERICUS AUGUSTUS a SCHAEFFER*, Hordorfio-Halberstadiensis, primae classi adscriptus, propter plurima ornamenta merito suo plurimi faciendus, Reverendissimi capituli cathedralis Halberstadiensis, *de re scholastica merita canet germanice.*

IX. *HERMANNUS CHRISTOPHORUS MAXIMILIANUS a ROHR*, eques Prignitziensis, primanus, beati Rectoris, collegarum omnium, & totius scholae deliciae, qua fuit in Rectorem suum, a quo merito plurimum diligebatur, pietate, *oratione germanica*, quae tota ei adeo propria est, ut neque descriptio ejus a me data sit, neque quidquam in ea mutatum, quamvis quaedam mutanda viderentur, *merita ejus prosequetur*: post quem ultimo loco prodibit.

X.

X. *TOBIAS BENEDICTUS WOLFF*, primi ordinis ornatissimus
 adolescens, *providae curae singularia quaedam documenta,*
quae hoc anno in Stephaneo nostro exstare Deus O. M. vo-
luit, commemorabit,

Quos omnes, ut scholae nostrae incomparabiles tutores,
 atque Patroni, ceterique humaniorum literarum studiosi, bene-
 vole audire velint, summa observantia etiam atque etiam con-
 tendo. Scrib. Halberstadii a. d. II. X. cal. dec.

CID IO CCLVIII.




C

Text



Text zur Music

zwischen den Reden.



Nach der ersten Rede.

Aria Duetto.

Sheil euch! ehrwürdige Obrigkeiten!
 Heil euch des ganzen Landes Glück!
 Von euch wird Segen sich verbreiten.
 Wenn, um die Jugend recht zu leiten,
 Ihr werdet um den Vorzug streiten:
 Dann kommt die güldne Zeit zurück.

B. A.

Nach der achten Rede.

Aria Tutti.

Laß freudige Psalmen,
 Laß jauchzende Chöre,
 Laß dankende Hymnen

Harmo:

Harmonisch erschallen,
 Durchdrungenes Chor!
 Des hohen Stiffts Gnade
 Kommt deinem Verlangen,
 Den Wünschen der Lehrer,
 Dem Flehen der Jugend
 Wohlthätig zu vor.

B. A.

Nach der neunten Rede.

Aria.

Nun ruhet sanft in Gott, erstorbne Glieder!
 Der Kampf und Lauf, ist höchst erwünscht vorbei.
 Erwartet hier das neue Leben wieder,
 Bis daß der Geist mit euch vereint aufs neu.
 Da werdet ihr, wenn die Posaun erthönt,
 Auf ewiglich mit Himmels Lust gekrönt.

Nach

Nach der zehnten Rede.

Aria.

Wenn Flammen und Waffen die Länder verheeren,
 Wenn Rachgier und Mordlust die Erde erschreckt:
 So soll uns dieser Tag belehren,
 Daß Gottes Schild die Schule deckt.
 Sey nur das Schrecken unsrer Tage,
 Sey leider! noch der Menschen Klage,
 O Krieg, du allgemeine Plage!

GOTT wachet für sein Heiligthum.
 Selbst mitten in den wildsten Kriegen,
 Erhebt die Schule, voll Vergnügen,
 Des Höchsten Ruhm.

B. U.







5. Dez. 1995

78 L 1245



vd 18

ULB Halle 3
005 611 288







7

Ia 54


9.

DE
DISCIPLINA SCHOLASTICA
COMMENTATIO
QVA AD
ACTVM ORATORIVM

PRID. CAL. DECEMBR,
SCHOLAE DIE NATALI POST MERIDIEM
AB HORA II.

IN
STEPHANEO HABENDVM

INVITAT
CHRISTIAN. GODOFREDVS STRVENSEE,
SCHOLAE CONECTOR, ET ECCLESIAE CATHEDRALIS VICARIVS.



HALBERSTADII,
FRIDERICIANO STANNO, MDCCLVIII.